



Disputatio juridica inauguralis ad legem Julianam majestatis

<https://hdl.handle.net/1874/345229>

27.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
AD
LEGEM JULIAM MAJESTATIS,

Q V A M,
AUSPICE DEO OPT. MAX.
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiae Doctoris, & Linguæ Sanctæ in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Nobilissima
Facultatis JURIDICÆ Decretò,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTRIQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

*Eruditorum Examini subjicit
MARCUS VAN OS, GORCOMIO-BATAV.
Ad diem 25. AUGUST. hora locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiacæ
Typographi, clo IOc xciii.

Illustriſimo Nobilifſimo,

D. WILHELMO BARONI de LIERE,
Domino utriusque Catwijck, Zant, Oo-
sterwijk, &c. Nobilium Hollandiæ no-
mine Deputato ad Collegium Archi-
thalassicum, quod est Amſtelodami, uti
& Collegio aggerum Rheno-landiæ ad-
scripto, &c. &c.

U T E T

Consultiſſimis Doctiſſimis VIRIS,

ALEXANDRO van OS,
J. U. Licentiato Patri meo venerando,
ANTONIO van WEVELINCHOVEN,
J. U. Licentiato.

ALEXANDRO van WEVELINCHO-
VEN, J. U. Doctori, Avunculis meis
quam plurimum colendis.

Hancce Disputationem Inauguralcm

D. D. D.

M A R C U S V A N O S,

A U C T. & R E S P.

DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS.

A D

Legem Julianam Majestatis,



*Æc lex lata dicitur à Julio Cæsare dictatore, quæ tamen tralatitia est ex lege Cornelia Majestatis, quam ante ipsum Cornelius Sylla (uti Cicero indicat in oratione in Pisonem) dictator intulerat. Postea Julius Cæsar eam innovavit, & pœnam interdictionis aquæ & ignis impo-
suit, quæ pœna postea antiquata & in mortis pœnam commutata est, de qua infra.*

THEISIS I.

Crimen læsæ Majestatis aliud est divinæ, quod committitur multis modis. Inter quos est hæresis, Apostasia, sacrilegium, & similia. Aliud humanæ, quo subditus supremam dignitatem malitiose offendit arg. l. i. §. i. ff. ad leg. Jul. Majest. ut necesse sit ad hoc crimen, quod patratum sit in personam ejus, qui summum imperium obtinet, sive is sit imperator, sive Rex, Dux, aut alterius nominis princeps, aut in alios quidem, sed in contumeliam perniciemque principis h. quisquis 5. Cod. b. t.

DISPUTATIO JURIDICA

II.

Crimen hoc variis modis committitur uti patet ex l. i. & seqq. ff. & Cod. b. t. veluti vectigalia nova imponendo sine principis authoritate, statuas ejus violando, monetam crudendo, radendo, adulterando, & aliis de quibus passim ff. hoc tit. Præcipua species est perduellio, per quam in principem aut rempublicam hostilia attentantur sive facto sive consilio l. i. 3. 4 ff. b. t. uti machinari quid in vitam principis, in perniciem reipublicæ, urbes, castra ejus occupare, exercitum prodere & similia d. l. 3. ff. b. t. videntur & exploratores, id est, secreta, quibus de securitate principis aut Reipublicæ agitur, pandentes hosti, hoc crimine teneri l. 6. §. exploratores ff. de re militari.

III.

Pœna hujus criminis est ultimum supplicium, non capitis amputatio, ut quidam per verbum gladium in d. l. 5. Cod. b. t. intelligunt, sed quodlibet gravissimum ultimi supplicii genus, quomodo per gladii nomen, tanquam insigne rerum capitalium judicii, quodvis extremum supplicium l. 3. ff. de jurisdict. l. 31. ff. ad leg. Jul. de adult. & per capitis poenam quodvis supplicii genus innui constat l. 6. §. 4. l. 7. ff. de re militari l. 8. §. 2. l. 38. §. 1. & 2. ff. de pœnis. Bona omnia publicantur, tum feudalia, tum allodialia, tum quæ jurisdictionis sunt hoc ipso quo quis in crimen incidit l. fin. Cod. b. t. hoc est ipso jure, ut saltem sententia definitiva necessaria non sit, nam declaratoria requiritur ad executionis effectum arg. C. cum

I N A U G U R A L I S . 5

cum secundum de hæret. in 6. nisi crimen omnino sit notorium Gail. de pace publica lib. 2. cap. 36. num. 16. §. 17.

I V.

Cum ergo bona omnia fisco addicantur d. l. 5. Cod. b. t. palam sit liberos perduellis non posse ex censu patris portiones aliquas retinere: quas retinerent si ex alio crimine bona fisco vindicarentur l. cum ratio 7. ff. de bonis damnat. Hinc controvertitur an filiis & filiabus in bonis patris? Præterea filiis in bonis matris non sit relinquenda legitima portio? dubitandi ratio ex eo provenit quod legitima portio naturale debitum dicatur Nov. 1. cap. 1. §. 2. & constans interpretum doctrina videatur legitimam portionem juris naturalis esse: at ego defendere conabor ne quidem legitimam deberi: eo magis, quod Juris Civilis sit arg. l. 6. Cod. de secund. Nupt. Nov. 1. in princ. §. 2. cum similibus.

V.

Quæritur cui ergo deferuntur bona, quæ filii perduellis capere non possunt, utrum fisco, an iis, qui proximi gradu sunt? Resp. Hæreditates quidem ab intestato deferruntur proximis: Testamentariæ vero substitutis aut conjunctis, aut utrisque deficientibus, deserto Testamento recidunt in causam intestati. Legata vero si conjunctum non habeant, apud heredem remanent. Etenim Paterna quidem bona omnia imperatores in d. l. 5. Cod. b. t. fisco addicunt: at ubi de maternis aliisque successionibus loquuntur, nullam omnino fisci mentionem faciunt: sequitur ergo fiscum ab his, quos diximus excludi. Accedit quod filios perduellis, velint à propinquorum successione

6 DISPUTATIO JURIDICA

sione esse alienos, vetent eosdem ex Testamentis aliorum capere: quibus verbis non tam indigni quam incapaces designantur. Certum autem est, indignis quidem relictā fisco vindicari l. 11. 46. ff. de jure fisci l. 2. & seqq. ff. de his quæ ut indig. auf. incapacibus vero relictā pro non scriptis haberi l. 3. ff. de his, quæ pro non script. hab. utique si palam relictā fuerint, nam quæ tacite & in fraudem juris relinquuntur ea demum fisco vindicantur l. 3. d l. 46. ff. de jure fisci l. 10. 11. & 18. ff. de his quæ ut indig. auf.

V I.

Quæritur unde alimenta habituri sint liberi, si publicentur omnia bona? quidam cum viderent durissimum id esse, negari liberis damnati alimenta (necat enim, qui negat l. 4. ff. de agnosc. & alend. lib.) scripserunt non adimi per d. constitutionem 5. Cod. h. t. alimenta. Quibuscum & ego sentirem, si verba paterentur. Verum cum constitutio omnia bona fisco addicat, cum liberos egestate laborare velit, cum filiabus tantum ex bonis maternis mediocrem concedat alimoniam, quas pro sexus infirmitate minus ausuras credit, utique ex bonis paternis nihil almentorum nomine patitur decidi. Utitur quidem d. constitutio & egestatis & paupertatis verbo: sed prævalet verbum egestatis, pauper est, qui parum habet, egenus qui nihil ut in illo Martialis.

*Non est paupertas Hector habere nihil.
& Ovid.*

*Car nemo est Hecalen, nulla est quæ ceperit Irum,
Nempe quod alter egens, altera pauper erat.
Utro-*

& A

I N A U G U R A L I S. 7

Utroque incommodo laborare filios voluit constitutio, quod licet durum sit, tamen cum Ulpiano dicendum. Ita lex scripta est. *l. prospexit 12. ff. qui s. à quib. man. lib. fi.*

V I I.

Quæritur an in *constit. 5. C. b. t.* filiorum appellatione contineantur emancipati? Respondendum censeo cum distinctione: Emancipati ante commissum crimen non continentur: Emancipati post commissum crimen continentur. Distinctionis membrum prius firmatur *ex §. emancipationes d. l. 5. Cod. b. t.* ita: Valent mancipationes in emancipatos ante commissum crimen factæ: Ergo ad emancipatos ante commissum crimen poena non pertinet. Posterior ex *eod. §. colligitur* hoc modo: quarumlibet rerum alienationes, factæ ex eo tempore, ex quo quis de scelesta factione cogitavit, nullius momenti sunt: Ergo, emancipationes ex eodem tempore factæ nullæ sunt, quoniam in fraudem sanctionis factæ creduntur.

V I I I.

Adoptivos quod attinet: ad hos quidem pertinet portio concessa ex bonis damnati, perinde ac si nati essent ex justis nuptiis, si non in fraudem fisci facta sit adoptio. *cum ratio 7. §. ex bonis ff. de bon. damnat. in d. autem constitutione* filiorum appellatione non continentur. Non enim quadrat adoptivis ratio ab imperatoribus adducta, quod sint in liberis metuenda exempla paterni criminis, nec derivantur vitia parentum in adoptivos. Sed nec quadrat

8 DISPUTATIO JURIDICA I

drat ratio à Cicerone adducta; puniendo liberi, ut charitas eorum amiciores reddat Republicæ parentes: non enim tantum amoris affectus ergo adoptivos, quantus erga liberos natos ex justis nuptiis: nec quisquam adoptivi gratia à scelere abstinuerit. Atque hoc absque controversia procedit si extraneus adoptatus sit, qui nec in potestatem adoptivi patris transit *ex l. penult. Cod. de adopt.*

I X.

Si à conjuncta persona adoptio facta sit, dubitari poterit, quoniam concurrunt eo casu naturalia & adoptionis jura. Verius tamen est nec eo casu adoptatum incidere in poenas *bujus constitutionis 5. Cod. h.t.* nam sive avus paternus sive maternus nepotem adoptaverint, bona quidem omnia adoptatoris fiscus occupabit, infamis tamen & incapax aliarum successionum non erit adoptatus, quoniam dicta constitutio de filiis tantum non etiam nepotibus loquitur. Ac licet Juris Civilis commento nepos in locum filii adoptari posuit §. Et tam *filius instit. de adopt.* tamen non tam Juris Civilis commentum, quam naturam inspicere debemus. IIIV

X.

Non solum sceleris authores, sed & Satellites, ministri, consci, ac filii eorum hoc judicio tenentur: nisi quis in exordio initæ factionis studio veræ laudis accensus initam prodiderit factionem *l. 5. §. 6. Cod. h.t.* hinc magna disputatio fuit inter Baldum & Bartolum, utrum per conscientias eos duntaxat intelligere debeamus, quorum scientia

I N A U G U R A T I L I S. 9

tia sceleris quadam societate illigata est : an & illos quibus factio innotuit licet nihil cum machinatoribus fuerit commune ? ego sententiam Baldi amplector nempe ob solam reticentiam non teneri poena perduellionis , eos , qui nulla societate factiosis juncti fuere quo facit §. ult.
l. 5. Cod. b. t. ubi cum Imperatores ita loquuntur , *sane si quis ex his , sc. satellitibus , consciis , ministris , in exordio initæ factionis &c.* Satis declarant se non de quibus cunque consciis loqui , sed de iis qui factionis initæ pars fuerant.

X I.

Quæritur ab interpretibus an sub verbo *quisquis in l. 5.*
Cod. b. t. comprehendantur mulieres ? quod probare contendam ex eo quod hoc verbum *quisquis* infinitæ significationis est , tam mares quam foeminas complectens *l. 1. ff. de verb. sign. l. 3. §. 1. ff. de negot. gest. l. 1. §. 1. ff. de pecun. constit.* Cic pro Cluent. ubi omnes mortales lex al ligat , ita loquitur : *Qui venenum malum fecerit omnes viri , mulieres , liberi in judicium vocantur.* Et sane cum hostilia mulieres quoque moliri possint cur exciperentur à poenis hujus constitutionis ? cum ubi eadem ratio est ibi idem jus esse debeat *l. 32. ff. ad leg. Aquil.* ad hæc cum Ulpianus responderit in *l. 3. ff. de bonis damnat.* dotem quoque publicari , si Majestatis damnetur uxor , quis dubitet Legem Majestatis ad mulieres pertinere ? sed & cum ipsi imperatores in *d. constit. 5. Cod. b. t.* rescripere mitiorem debere esse legem in eas quas propter sexus infirmitatem minus ausuras credimus , eo ipso satis innuunt si quid ausæ fuerint , poenas legis eas manere.

B

XII. Hac

10 DISPUTATIO JURIDICA

X I I.

Hac lege conatus criminis eādem pœnā puniendus est qua consummatum scelus. Per voluntatem autem & cogitationem non nudam intelligere debemus (hujus enim pœnam nemo patitur *l. cogit. 18 ff. de pœnis*) sed quam secuta est ipsius sceleris inchoatio aliqua *l. 5. Cod. b. t. l. 3. in fin. ff. eod.* veluti si quis venenum paraverit, tametsi nondum porrexerit principi: si quis scelestæ factioni sacramentum dederit, aut alios sacramento adigere curaverit &c. *d. l. 5. & l. 3.* idem existimo, si quis scelesta oratione aliis hostilia persuadere conatus fuerit, etiam si non persuaserit: sed si ja&taverit duntaxat, se aliquid moliri velle in necem principis, existimo, integris omnibus ad principem referendum ut ex causa & persona hac de re statuat: neque enim perduellis esse videtur, sed convictior *arg. l. un. Cod. si quis imperat. maled.*

X I I I.

His qui pro Reo Perduellionis intercedunt, infamia inuritur, id enim significat verbum *notabiles* in *l. 5. Cod. b. t.* ut & in *l. 3. pr. ff. de testib. l. 2. Cod. de dignitatib. l. ult. Cod. de genere abolit.* Rationem hanc reddit *Cic. pro Sylla*, cum inquit; *quia in hoc crimine non solum culpa levitatis est, si defendas reum, sed & contagio sceleris.* Hinc ab interpretibus quæritur, num iis etiam inuratur infamia, qui pro filiis perduellum intercedunt? & an advocatus Reo patrocinari possit, sine speciali Principis permisso? ad primum quod attinet Ratio dubitandi est,

I N A U G U R A L I S . II

est, quod Imperatores in l. 5. Cod. b.t. proxime de filiis locuti sint, & nunc pluratio numero utuntur *talibus*, ut igitur constet orationis connexio, ad filios quoque id verbum referendum. Verum pressius examinanti contextum, apparebit verbum *talibus* non ad filios, sed ipsos Rebelles referendum esse: nam in seqq §§. d. l. 5. verba eorum, *prædictis*, *prædicatorum*, quæ & ipsa relativa sunt, ad perduelles, non filios eorum referuntur, quod defendere conabor. Ad secundum: sequor affirmantium opinionem, quoniam jus nusquam negat Advocatum perduelli, cumque sit hoc patronorum officium, ut non solum privatis judiciis facultates, sed & publicis vitam reorum defendant l. 3. §. 2. ff. de *prævaricat.* l. 14. Cod. de *Advocat.* divers. *judicior.*

C O R O L L A R I A.

I.

*Minor graviter lesus in integrum restituitur
adversus contractum Juramento firma-
tum, & absoluitur Juramento.*

I I.

*Mandatarius tenetur præstare culpam latam,
levem, non levissimam.*

III. Pa-

I I I A U G U L I S

Pactum cum creditore initum, ne liceat debitori pignus vendere venditionem irritam ponit l. si creditor §. fin. ff. de distract. pignor.

I V.

Quarela Testamenti inofficii non est Remedium preparatorium sed ipsa hereditatis petitio.

C O R O T T A R I A V.

*Tantum ob causas expressas in Nov. 115.
cap. 3. exheredatio procedit.*

